

effectu non sunt percepti. Debet denique usurarius restituere omne damnus obveniens, imò, & lucrum cessans, si forte Dominus, ut usuras solveret, aliquam jacturam est passus.

241 Hæc usurarum restitutio mutuario per illas læso debet fieri, vel post obitum ejus, ipsius hæredibus, sive ex testamento, sive ab intestato. Si hæredes non extent, vel ignorentur, tunc quidem aliis pauperibus, Ecclesiis, vel aliis causis piis debet fieri restitutio. c. 4. 14. q. 5. c. 5. b. t. Etiam pauperibus possunt restitui, quando licet sciatur virtute Cruciatæ de illicitè adquisitis per usuras, ut ex Bulla ipsa constat. Usurarius, qui inopiam patitur non potest obligari, ad usuras restituendas. c. 5. b. t. Quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. c. 16. de Restitut. spoliat. quousque ad pinguorem fortunam deveniat; arg. C. Oduardus, 3. de Solution. potest etiam creditor hanc obligationem usurario remittere totalitèr, cum sit suæ rei moderator, & arbiter. L. 21. C. Mandat. Et à fortiori consentire in cautionem, quam usurarius pignori, vel fidejussoribus præstet: nam sic satisfactum censetur. Si usurarius velit uti beneficio cessionis bonorum, tunc reliquenda sunt ipsi alimenta, ne egeat, & expressari debet, quousque habeat, unde solvendo.

242 Ultra restitutionem variis poenis usurarii puniuntur, quæ sunt sequentes. 1. enim usurarii fiunt infames. C. 11. de Excess. Prælator. ac Proinde irregulares, nec valent ad ordines promoveri c. 8. D. 46. nec ad beneficia, vel officia Ecclesiastica. c. 11. de Excess. Prælat. quod si Clerici sint, suspendunt: & si adhuc in crimine persistent, omninò à beneficio, & officio Ecclesiastico obtento deponunt, c. 7. b. t. Si poenitent, & restituant usuras, potest Episcopus dispensare cum tali Clerico, ut possit beneficia obtenta retinere, & obtinere alia, non tamen potest recuperare ea, quibus privatus est, si alii jam sint collata. c. 4. §. de Adulteris, de Judiciis. Si Laici sint, excommunicantur, imò hodie excommunicationem ipso facto incurrunt. c. 1. b. t. in 6. Usurarii negatur Sacramentalis absolutio, & Sacramentum Eucharistiæ, nec eorum oblationes admittuntur, præsertim, quæ intra Missarum solemnias fiunt, & in morte sepultura Ecclesiastica

denegatur ipsis, nisi usuras restituant, vel saltem de restituendo caveant. c. 3. b. t. c. 2. eod. in 6. l. 9. tit. 13. p. 1. ipsoque facto excommunicatur Clericus illos ad sepulturam Ecclesiasticam admittens, nec ab excommunicatione absolvitur, quosque arbitrio Episcopi satisfaciatur. Clem. 1. de Sepult. Greg. Lop. in l. 9. tit. 13. p. 1. V. Manifestamente.

243 Item usurarii non possunt facere testamentum, nec aliam ultimam voluntatem, nisi restituant usuras, vel cautionem de eis restituendis præstent. Nec ulli licet eorum testamentis conficiendis interesse: quod si testamentum faciant, & adhuc impoenitentes in restituendis usuris sint, testamentum est irritum. c. 2. b. t. in 6. Etiam si talis usurarius desisset usuras exercere. Nam dum non restituit, vel de restituendo cavet, testamentum est nullum. Covar. 3. Var. c. 3. n. 9. Si dedit signa poenitentiae, & decessit, nec restituit, nec de restituendo cavet: quamvis quoad relicta profana testamentum sit nullum, sustineri tamen ex æquitate, quoad relicta ad pias causas, tenent Sylv. V. Usura, 9. q. 7. Covar. 3. Var. cap. 3. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 334. n. 11. Lug. eod. D. 24. sect. 4. n. 70. Vazq. Opusc. de Testament. cap. 9. §. 1. dub. 8. n. 32. Sitamen potest testamentum nullitèr conditum, restituunt, vel cautionem præstant usurarii, tale testamentum convalescit, non præcisè tractu temporis L. 210. ff. de Regul. jur. sed quasi confirmetur nova voluntate, quæ deambulatoria est usque ad mortem. Sic alienatio à minori nullitèr facta, judicis Decreto superveniente, majori ætate confirmatur, si minor eam ratam habeat L. 2. C. Si major fact. quod à fortiori in testamento tenendum est ob causæ favorem. C. fin. de Sent. & re judic. Cov. Var. 3. cap. 3. n. 9. Lug. de Just. D. 24. sect. 4. n. 71. Has poenas incurrunt usurarii: sed quidem manifesti tantum. c. 15. h. t. Molin. de Just. in 2. D. 334. n. 5. Castrop. tr. 30. D. 4. p. 30. n. 16. l. 9. tit. 13. p. 1. ibi: Usurero siendo alguno manifestamente en su vida. Debet tamen præcedere sententia Judicis declaratoria, quod ille sit usurarius manifestus, vel notorius; arg. c. 19. de Hæretic. in 6. Præter has poenas potest Judex alias suo arbitrio infligere, præcipue pecuniarias, ut ipsi, in quo peccant, puniantur. Vel etiam Carceris, relegationis, vel fustigationis Menoch. de Arbitr. cas. 398. In nostra Hispania sic puniuntur usurarii. In L. fin. tit. 6. lib. 8.

R. C. Mandamos, que qualquier Christiano, que dære à usuras, ò biçiere qualesquier contratos en fraude de usura, que çaya en las penas, que en las dichas Leyes, y Ordenanças son contenidas: de las quales la suerte principal sea para la parte contra quien se exercitaren las usuras, y de las penas la mitad sea para la Camara: y demas que el tal Usurario, ò logrero quede, y finque inhabil, ò infame perpetuamente.

244 De usurarum crimine contra Laicum cognoscere potest Judex Ecclesiasticus. c. 2. e. 7. b. t. Vel etiam Laicus. c. 12. eod. ad preventionem cum delictum sit mixti fori: & non solum quando quæstio facti vertitur, sed etiam, quando quæstio est de jure, v. g. An hic contractus sit usurarius vel non? Siquidem utroque jure vindicatur hoc delictum, & ab utroque Judice, teste praxi, punitur. Nec usura plus spiritualitatis habet, quam homicidium, & alia crimina justitiæ: & Juri Naturali repugnantia. Sylv. V. Usur. 9. Covar. Var. 3. cap. 3. n. 1. Farinac. Prax. Crimin. q. 8. n. 140. Menoch. de Arbitr. cas. 398. Molin. de Just. tr. 2. D. 333. Gonzal. in c. 3. h. t. n. 11. contra Glos. in c. 8. de Foro comp. V. Malefactores. Clar. V. Usura, n. 8. Azor, & alios, qui ad Ecclesiasticum privatè pertinere, tenent. Quando verò statuendum est perpetua, & Legali Sanctione, an aliquis contractus usurarius, injustus, vel peccaminosus sit, hoc ad solum Rom. Pontificem spectat. Nam ipsi tantum est concessum à Christo D. declarare doctrinam ad fidelium mores spectantem juxta illud Christi D. Pasce oves meas. Joan. c. fin. v. 17. Aliquem esse manifestum usurarium, probatur per facti evidentiam, si aliis frequenter mutuum sub usuris dedit, vel si publicè eas exercuit. Et sufficit unus actus. Etiam probatur per evidentiam juris, si usurarius est condemnatus, judicialiter confessus, vel legitimè convictus, vel per confessionem extrajudicalem usurarii coram Notario, vel duobus testibus factam, vel per duos, vel tres testes (non quidem de fama deponentes) sed qui testentur, illum vidisse sæpius mutuum sub usuris dare: vel per conjecturas vehementes, & indicia evidentia, quæ cum delicto moralem connexionem habeant. c. 15. h. t. Denique ex libris rationum, qui licet non pro ipsis, contra ipsos scribentes probant. L. 5. l. 6. l. 7. C. de Probat. ad quos exhibendos possunt per censuram cogi. Clem. in §. Ceterum, h. t. imò, & vi

adhibita frangendoque arcam, extrahi possunt. De quibus latius Sylv. V. Usura, 9. Covar. Var. 3. cap. 3. Menoch. de Arbitr. cas. 235. Azor, p. 3. lib. 5. c. 19. Usurarius manifestus condemnatus, ut usuras restituat, non auditur, si appellet. c. 11. h. t. Sicut nec alii notorii criminosi à condemnatione criminis appellantes audiuntur. c. 5. §. fin. de Appellat. nisi appellatio ex justa causa interponatur, v. g. si reus neget, se usuras recepisse: quia defensio naturalis, qualis est appellatio, nulli denegatur. c. 59. de Appellat. c. 11. de Excessib. Prælat.

TIT. XX.

De Crimine Falsi.

245 **F**alsum, aliquando dicitur, quidquid verum non est, etiam si traus, vel dolus non committatur. L. 13. §. ff. de Robus dub. Aliquando insuper addit dolus, etiam sine alterius præjudicio, & tunc coincidit cum mendacio. L. 20. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. Sed in præsentem falsum tria complectitur. 1. Immutacionem veritatis. 2. Dolus committentis falsum. L. 20. C. ad Leg. Cornel. de Fals. 3. Quod talis immutatio afferat damnus tertio, vel saltem, quod ex se possit afferre: licet fortè impediatur. L. 6. l. 8. C. ad Leg. Cornel. de Fals. Hinc falsum definitur Fraudulosa immutatio veritatis in alterius præjudicium facta. L. 1. tit. 7. p. 7. ibi: Falsedad es mudamiento de la verdad. Falsum est grave crimen, & publicum, de quo quilibet de populo, etiam si nihil ipsius intersit, potest accusare: & quidem usque ad 20. annos accusatio fieri valet. L. 5. tit. 7. p. 7. estque crimen exceptum, quod non venit in generali dispositione, vel remissione: Nec falsarius liberatur à carcere, ut alii rei ob publicam lætiam. Menoch. de Arbitr. cas. 306. n. 11. Acced. in l. 3. tit. 17. lib. 8. R. C. n. 2. Et sanè pluribus, & variis modis falsi crimen committitur. L. 1. tit. 7. p. 7. ibi: E puede hacer la falsedad en muchas maneras. L. 1. & sequentib. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. falsum igitur committitur. 1. facto ipso. 2. verbo, & dicto. 3. scripto.

246 Facto ipso quis falsi crimen committit. 1. Quando admiscet mercibus materiam adulterinam: & arbitrariè punitur. Item Medici, vel Pharmacopola, qui

qui loco unius medicamenti aliud apponunt. *L. 4. tit. 7. p. 7. 2.* Qui eandem rem duobus vendit diversis contractibus. *L. 21. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. & de Jure Hispano venditor primo emptori rem, secundo pretium restituet, & ipse ad tempus relegabitur. L. 7. tit. 7. p. 7.* qui verò rem oppignoratam alteri oppignorat, vel vendit, cum non sufficiat ad utrumque debitum, committit stelsonatum, non tamen crimen falsi, nisi falsum dicat, v. g. non esse rem alteri oppignoratam. *3. Qui terminos agrorum dolose mutat, & hic quidem arbitrariè punitur L. 8. tit. 7. p. 7. 4.* Qui corrumpit pondera, & mensuras publicè probatas. Et hic Insulam relegabitur. *L. 32. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Jure tamen Canonico punitur 30. dierum poenitentia in pane, & aqua. *c. 2. de Empt. De Jure Hispano, qui falsis ponderibus, vel mensuris utitur emendo, aut vendendo restituet damna duplicata, & in Insulam relegatur ad tempus, Regis arbitrio, & pondera, & mensuræ frangi debent eorum damnificantium januis. L. 7. tit. 7. p. 7.* Hodie tamen poena relegationis ad poenam arbitrariam reducit. *Aceved. in l. 2. tit. 13. lib. 5. R. C.* In quo titulo late agitur de ponderibus, & mensuris, quibus in Hispania uti debemus. *Hevia 2. p. Cur. Philip. lib. 1. cap. 7. & 9.* Qui alienum partum alicui in alterius præjudicium supponit. *L. 3. tit. 7. p. 7.* Cujus poena olim erat capitalis. *L. 1. C. ad Leg. Cornel. de Fals.* Hodie erit castigatio. *Mench. de Arbitr. cas. 306. 6.* Etiam si per Alchimiam verum aurum confici absolute possit, ut tenent *Alb. Magn. L. 3. de Mineral. cap. 9. Martin Delrio, lib. 1. Disquis. Mag. cap. 5. q. 1.* quod negant *D. Thom. in 2. D. 7. q. 3. art. 1. ad 5.* tamen severe prohibendum est à *Joan. XXII.* tali auro uti, & ex eo monetam cudere. Et Laici Alchimia utentes fiunt infames, & regularitè poena arbitraria puniuntur. Clerici beneficiis habitis privantur, & ad alia habenda inhabiles efficiuntur. Et dat rationem Pontif. *In Extr. un. b. t. inter commun. Spondent, quas non exhibent. divitias, pauperes Alchimistæ: idemque verbis disimulant falsitatem, ut tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum sophistica transmutatione fingant. L. 9. tit. 7. p. 7.* Ubi arbitrio Regis jubet puniri Alchimistas, ibi: *O que ficiessen alquimia, engañando los omes en facerles creer lo que non puede ser segun natura. 7. Qui*

corrumpit dolo malo edicta proposita. *L. 32. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* qui falso diplomate vias committit. *L. 27. §. fin. ff. eod.* qui dolose alegant auctoritates, Constitutiones, vel Leges falsas, vel jam abrogatas. *Leg. fin. ff. eod. l. 1. tit. 7. p. 7.* qui nomen, cognomen, genus, parentes, familiam dolose mutat in alterius præjudicium. *L. 13. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. l. 2. tit. 7. p. 7.* qui alienæ familiæ insignibus utitur. *L. 27. §. fin. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Non tamen prohibetur, quod quis sine fraude, vel alterius præjudicio mutet nomen. *L. un. C. de Mutat. nomin. Mench. de Arbitr. cas. 318. n. 2. Gonzal. in c. 3. b. t. n. 5.* In nostra Hispania, qui fingit sibi alienum nomen, quando merces manifestat apud Ministros-Regios, morte punitur, & ipse Tabellio, si fortè ad hoc malitiose concurrat. *L. 14. tit. 18. lib. 6. R. C.* Qui falso sibi aliquos honores, vel titulos attribuit in aliorum præjudicium: v. g. si se fingat Doctorem, Advocatum, Nobilem, vel Sacerdotem. *L. 2. tit. 7. p. 7.*

247 Denique, & precipuè grave falsi crimen committit, qui monetam falsificat, vel cudendo ex materia adulterina, vel admiscendo veræ materiæ aliam inferioris valoris: v. g. Si monetæ auri, vel argenti materia cupri, plumbi, vel stanni adjungatur: vel etiam minuendo justum pondus monetæ jam casæ: vel radendo, tendendo, vel scindendo monetam. *L. 8. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Etiam si his modis monetæ ad justum pondus reducatur: vel ipsam tingendo, ut tecto cupro, appareat aurea: vel monetam adulterinam dolose expendendo: vel etiam monetam justè ponderis, & veræ materiæ cudendo: Nam monetam cudere inter Regalia numeratur. *L. 2. c. de Fals. monet. l. 9. tit. 7. p. 7.* ibi: *Non ha poderio de la mandar facer algun ome, si non Emperador, ò Rey.* Et cum in Jure Canonico nulla certa poena in falsarios monetæ sit statuta, arbitraria imponenda est: quæ usque ad depositionem potest pervenire; *arg. c. 3. b. t.* Nam excommunicatio reservata in *Extr. un. b. t. Joan. XXII.* est poena specialis pro Regno Galliarum. Qui numos falsa fusione, id est, ex materia adulterina formaverit, flammæ exustionibus mancipatur. *L. 2. C. de Fals. monet.* Eadem poena tenentur cooperantes, v. g. qui concedit domum, stat in excubis, vel aliter promovet. *L. 1. & 2. C. de Fals. monet. l. 1. tit. 7. p. 7.* ibi: *Qualquiera que diesse ayuda, ò*

con-

consejo porque sea fecha falsedad en alguna de estas maneras sobredichas, ò en otras semejantes, face falsedad, è merece pena de falso. In nostra Hispania monetam falsans cumburunt. *L. 9. tit. 7. p. 7.* ibi: *Mandamos, que qualquier que ficere falsa moneda de oro, ò de plata, ò de otro metal qualquier, que sea quemado por ello, de manera, que muera.* Idem dicit de danti-bus consilium, vel auxilium. Huc etiam potest reduci crimen illorum, qui epistolas, vel litteras alicujus privati desigillant, & aperiunt: quorum poena est arbitraria. Si verò publicas litteras alicujus Magistratus sigillo publico munitas quis aperiat, gravius punitur. Pro Indiis habetur in *L. 7. tit. 16. lib. 3. R. Indiar.* quod aperiens Epistolas ad Regem Missas ex Indiis perpetuo exilio ab his Provinciis plectantur, & perpetua Officiorum privatione. Quod si viles sint, fustigantur, & in triremes mittuntur. Et addit Lex: *Y que los Virreyes tengan particular cuidado de executar lo, y por ningun caso, que no sea de manifesta sospecha de ofensa de Dios Nuestro Señor, ò peligro de la tierra, no abran, ni detengan las Cartas, ni Despachos. Solorz. Politic. Ind. lib. 2. cap. 14. in fin.* Possunt tamen sine injuria alterius litteræ aperiri jure belli, vel ad propriam, & justam defensionem, vel ad vitandum peccatum, vel à Superiori, præcipuè, quando huic juri cessum est à partibus, ut sit in societate. *Sybo. V. Falsarius, q. 1. Molin. de Just. tr. 4. D. 36. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 4.*

248 *Verb.* falsum committit i. testis, qui dolose in judicio falsum testimonium dicit, vel qui veritatem, quam declarare oportebat, occultat. *c. 1. b. t. l. 16. ff. de Testib. l. 1. tit. 7. p. 7. v. g.* Si rogatus de certo articulo dicit, se nihil scire, vel non recordari: vel æquivocè loquitur, ita ut veritas non detegatur. Etiam falsi crimen committit, qui falsi testis depositione utitur, vel qui illum ad falsum dicendum, vel verum occultandum, pretio corrumpit, vel subornat. *L. 1. tit. 7. p. 7.* In Lege enim Veteri poena talionis erat imposita falso testi: qui proinde subibat poenam, quam acusatus, probato crimine, pateretur. *Deut. 19. & fin.* ibi: *Animan pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente exiges.* De Jure Canonico testis falsus, etiam non juratus, si dolose circa substantialia causæ falsum dixit, vel occultavit verum, & quidem in tertii præjudicium, fit infamis. *c. 9. q. 5. & si Clericus sit debet deponi, &*

ad poenitentiam agendam in Monasterium detruendus est. *c. 7. D. 50.* vel condemnandus est ad carcerem, seu triremes. Si tantum circa accidentalia falsum dicit, vel sine tertii præjudicio poena est arbitraria. *Clar. §. Falsum, n. 9. Diaz Pract. Crim. Canon. cap. 97.* Ut tamen poena ordinaria testi infligatur, debet testis directè de hoc crimine accusari, & convinci, vel in jure illud confiteri. Nam si est opposita tantum civilitè per exceptionem falsitas, etiam ea probata, nullam poenam, nec infamiam testis incurrit; sed tantum à testimonio dicendo repellitur. *Diaz Pract. Crimin. Canon. cap. 97. n. 1.* Hodie Jure civili, derogatis per Legem, vel consuetudinem contrariam poenis antiquis in *§. 7. Inst. de Public. Judic.* ibi: *Ejusque Legis (Corneliæ de Falsis) poena in servos ultimè supplicium est (quod etiam in Lege de Sicariis, & veneficiis servatur) in liberos verò deportatio.* Falso testi imponitur poena arbitraria: ac proinde pro casuum varietate potest esse pecuniaria, vel corporalis, etiam & capitalis. *L. 22. C. ad Leg. Cornel. de fals. Clar. §. Falsum, n. 5. & 31.* In nostra Hispania olim quinta pars dentium extrahebatur testi falso, sed nunc ad triremes per decem annos damnatur, & publicæ ignominie exponitur. *L. fin. tit. 17. lib. 8. R. C.* Si tamen reo erat imponenta poena capitalis, testis falsus morte punitur. *L. 4. tit. 17. lib. 8. R. C. Gonzal. in c. 1. b. t. n. 5.* Testis falsum deponens potest puniri à Judice eorum quo deponit, licet alias, non esset de ejus jurisdictione. *L. 14. C. de Testibus.* Dum testis non sit Clericus, qui eorum Laico Judice deponat: Nam tunc Judex solum cognoscit civilitè de falsitate ad repellendum Clericæ testimonium, non tamen criminalitè ad eum puniendum. Judex falsi crimen committit quando odio, precibus, donis, vel gratia corruptus, ex malitia dolose injustam sententiam contra jus, & propriam conscientiam profert. *L. 1. §. 3. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. l. 1. tit. 7. p. 7.* De Jure Canonico talis Judex incurrit suspensionem à Divinis, & si hisse inheerit, durante suspensione, fit irregularis. *c. 1. de Sent. & ve jud. in 6. de Jure Civili olim exilio, vel capite plecebatur ex Lege Reperundarum. L. 7. §. fin. ff. ad Leg. Jul. Reper.* Hodie poena arbitraria exilii, confiscationis, amissionis officii, & etiam mortis punitur. *Mench. de Arbitr. cas. 342. n. 7.* fore idem est in nostra His-

Hispania L. 52. tit. 14. l. 24. tit. 22. p. 3. lib. 5. tit. 9. lib. 3. R. C. *Pichardo in princ. Inst. de obligat. que ex quasi delict. n. 16.* Advocatus falsi crimen committit, si partem contrariam juret, & suam vinci patitur, vel prodita causa sui clientis, vel proprias probationes omitendo, & admittendo probationes, & exceptiones falsas contrarii. L. 1. tit. 7. p. 7. Olim talis S. C. Turpillano puniebatur. L. 1. ff. ad S. C. Turpil. Hodie verò poena arbitraria, vel carceris, vel multæ pecuniariae, vel fustigationis punitur. L. 1. ff. de Prevaricat.

249 Denique falsi crimen scripto committitur circa testamenta: nam ut ait Justin. in §. 7. Inst. de public. Judic. Item Lex Cornelia de Falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, poenam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subiecit, vel signum adulterinum fecerit, scilicet, si expresserit sciens dolo malo, l. 1. tit. 7. p. 7. vel qui sibi tali instrumentum legatum, vel fideicommissum falso adscribit: vel aliquam Chirographum, manuum, vel sigillum imitatur: vel qui in sui favorem, & alterius detrimentum debitorum, vel quid simile scribit, vel nomen alienum assumit, vel proprium supprimit, vel mutat in præjudicium tertii: qui testamentum, vel aliud instrumentum vitiat, lacerat, supprimit, vel in parte substantiali, & considerabili radit, vel immutat. L. 1. cum seqq. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. Etiam falsum committit, qui corrumpit edicta Magistratus. Et præcipue, qui litteras Apostolicas falsificat: si litteras falsas conficiat, vel confectis sigilla falsa, vel etiam vera apponit, sine consensu tamen ejus, ad quem spectat. Vel si in litteris veris aliquid radatur, vel abluatur, tollatur, vel addatur in parte notabili non quidem secundum quantitatem, sed secundum sensum, etiam si immutatio fiat in una littera, vel puncto. Vel si aliter corrumpatur, ita ut sensus earum immutetur. Si verò ex rasura sensus non immutetur radens à falsari poenis omnino liberatur. Et ideo in Bulla Cœnæ nunc omittitur clausula, quæ ante Clement. VIII. solebat inseri: *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram.* Deinde in c. 5. & fin. b. t. continentur plures modi litteras falsificandi, qui hoc versu continentur. *Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum.* Et quidem falsi crimen committit, qui rescripta justitiæ, vel gratiæ immutat,

etiam si leve, vel nullum dæmnum inferat parti, vel fisco: quippe falsificatio prohibetur non tam propter dæmnum, quod sequitur, quam propter contemptum, & injuriam, quæ Pontifici fit. Ille verò, qui corrigit Litteras Apostolicas juxta mentem Papæ, v. g. si dispensatio in affinitatis impedimento petatur, & errore Notarii Litteræ in consanguinitate dispensent, & corrigat dispensationem in affinitate non, non potest dici falsarius: cum talis immutatio sit juxta concedentis intentionem, & nihil ponat falsum, imò veras Litteras reddat: debet tamen cavere, ne correctio fiat propria, sed Notarii, vel Officialium Curie auctoritate. *Suarez de Cens. D. 21. n. 47.* qui doctid non licere privatis: quod si fiat talis mutatio valide erunt Litteræ, & sæpe ob bonam fidem talis mutatio à culpa, & censura excusabitur. Si ratio fiat in curia ab Officialibus, etiam si in loco suspecto sit, non reddit Litteras falsas: debet tamen fieri mentio de correctione facta. Nominè autem Litterarum Apostolicarum intelliguntur Bullæ, Brevia, & Rescripta ipsius Pontificis, si ve gratiæ, si ve justitiæ: item supplicationes oblatæ Pontifici, & ab eo signatæ, vel à Vice-Cancellario, aut alio de Pontificis mandato. Non tamen Litteræ Episcoporum, vel inferiorum; imò nec Legati à Latere, vel Nuntii missi à Papa, vel Congregationis Cardinalium, Penitentiariæ, Datarii, & *Novar. in Man. cap. 27. n. 62. Suarez de Cens. D. 21. sect. 2. n. 42.*

250 Falsificantes etiam occulti, & etiam unica tantum vice falsantes Litteras Apostolicas, & excommunicationem Papæ reservatam incurrunt. c. 7. b. t. & in Bulla Cœnæ, Can. 6. fautores, & defensores illorum excommunicationem, quamvis non reservatam, ipso facto incurrunt. c. 7. b. t. & ibid. *Barbos. n. 4. Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. n. 48.* Si sint Clerici perpetuò privantur omni officio, & beneficio Ecclesiastico, & si dicat litteras falsificantes per se ipsos (secus si per alium) degradantur, & debent tradi Curie Seculari, ut juxta ejus leges puniantur. c. 7. b. t. & consequenter poena capitali. L. 22. C. ad Leg. Cornel. de Fals. Clerici vero falsantes Principis Secularis Litteras non incurrunt has poenas impositas falsantibus Pontificis Litteras. c. 7. b. t. ac proinde non traduntur Curie Seculari: sed deponuntur, notantur stigmatè, vel caractere, &

& in exilium mittuntur, cap. 3. b. t. Laici, qui scienter impetrant litteras falsas, vel eis utuntur ipso facto excommunicantur. Clerici officii, & beneficiis privandi sunt, cap. 7. b. t. Imò, etiamsi illis non utantur, si intra 20. dies litteras falsas, quas scienter habent, non destruant, aut resignent, per sententiam excommunicantur, sed postquam lata est, Papæ reservatur, cap. 4. b. t. *Gonz. in cap. 3. b. t. ex n. 3. Barbos. in cap. 7. eod. Episcopi, & alii Prælati superiores falsantes Litteras Apostolicas incurrunt excommunicationem Bulla Cœnæ, quæ fertur generalitèr in omnes. Suar. de Cens. D. 21. sect. 2. n. 44.* non verò comprehenduntur aliis poenis: tum, quia non fit de his specialis mentio, cap. 4. de Sentent. excomm. in 6. tum quia privati nequeunt sine mandato Papæ, cap. 9. §. q. 6. De Jure Hispano circa falsarios sic disponitur in L. 6. tit. 7. p. 7. *Vencido seyendo alguno por juicio, ó concienca sin premia, que habia fecho alguna de las falsedades, que diximos en las leyes ante de ésta, si fuere home libre, debe ser desterrado para siempre en alguna Isla, è si parientes hobiere de aquellos que suben, ó descendien por la linea derecha fasta el tercero grado, deben heredar lo suyo, mas si tales herederos non hobiese, estonce los bienes suyos deben ser de la Cámara del Rey, sacando ende las debidas, que debia, è la dote, è las arras de su muger; è si fuere siervo, debe morir por ello; pero qualquier que falsa carta, ó Privilegio, ó Bula, ó moneda, ó Sello de Papa; ó de Rey, ó lo fiere falsar à otro debe morir por ello. E si Escribano de algun Concejo fiere carta falsa, cortenle la mano con que la escribió, è finque infamado para siempre.* Deinde, qui sigillum, vel chartam Regis falsat, vel alicujus Prælati, amittit medietatem bonorum, & fisco applicantur. Leg. 3. tit. 17. lib. 8. R. C. & ibid. *Azev. Via. Pichard. in Manud. ad Prax. part. 3. §. 4. V. Falsi crimen.*

TIT. XXI.

De Sortilegiis.

251 SORS, à qua sortilegium dicitur; varias habet significaciones: 1. Quidem sumitur pro Capitali, seu prima pecunia, quæ in societatem, vel contractum confertur, cap. 1. cap. 8. de Usuris: 2. Pro genealogia, seu progenie: 3. Pro quadam fatali necessitate, juxta illud *Virg. lib. 3. Ænid. Hic exitus illius Tum. 11.*

sorte talis: 4. Pro fortuna, seu statu alicujus, juxta illud: *In manibus tuis sortes mea.* Denique in presenti sumitur, pro ut definitur à D. Thom. opusc. 25. art. 8. & 2. 2. q. 95. *Sors est inquisitio occultis excedentis humanam industriam per aliquis à nobis factam de rebus humanis ad nos pertinentibus.* Et hinc aliquando sumitur in malam partem, ut in presenti sortilegium: quod quidem generice sump-tum comprehendit omnes superstitiones: quapropter aliquam earum notitiam in presenti dabo. Superstitio ergo ex D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 1. est vitium Religionis oppositum secundum excessum. Et licet Deus non possit coli nimium, nec majori cultu, quam dignus est, potest dari excessus secundum circumstantias: nam, ut ait D. Thom. ubi supra. *Religio est virtus moralis, omnis autem virtus moralis in medio consistit, & ideo duplex vitium virtuti morali opponitur: unum quidem secundum excessum, aliud autem secundum defectum: contingit autem excedere virtutis medium, non solum secundum circumstantiam, que dicitur quantum, sed etiam secundum alias circumstantias.* Unde, & in aliquibus virtutibus, sicut in magnanimitate, & magnificentia, vitium excedit virtutis medium, non quia ad majus aliquid tendat quam virtus, sed fortè ad minus. Sic ergo superstitio est vitium Religionis oppositum secundum excessum, non quia plus exhibet in cultum Divinum, quam vera Religio: sed quia exhibet cultum Divinum, vel cultum non debet, vel eo modo quo non debet. Superstitio est duplex: alia cultus indebiti, vel incongrui, qui Deo verò, sed modo indebito tribuitur, qui nimium talis cultus sit falsus, vel superfluus, quatenus sit contra, vel præter legem, seu consuetudinem Ecclesiæ. Alia est ratione rei, cui tribuitur cultus, quatenus cultus Deo debitus tribuitur falso Deo, vel creaturæ. Et hæc subdividitur in idololatricam, divinationem, vanam observationem, & magicam. D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 2. & 94. seqq. Cultum falsum, ac proinde superstitiosum exhiberet qui nunc Deum coleret per cæremonia veteris legis; v. g. per circumcessionem, agni immolationem, &c. Hæc enim non solum mortuæ, & abrogatæ sunt per adventum Christi, sed etiam sunt mortificatæ: significant enim, Christum nondum venisse, sed præfigurant venturum, cap. 3. de Constit. ibi: *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.* Vel si fal-

sas reliquias, revelationes, miracula quis proponat, vel aliquam historiam in Scripturam fingit, inveniri: etiamsi bono fine hoc fiat, vel si laicus tamquam publicus Ecclesiae Minister se gerat, sacrificando, absolvendo, &c. *Suar. de Religione. lib. 2. de Superst. cap. 2. Less. de Just. lib. 2. cap. 45. Sanch. in Decalog. lib. 2. capit. 37.* Cultum superfluum exhibet, qui ponit ceremonias, vel circumstantias, quae nihil conducunt ad Dei gloriam, vel spiritum excitandum; v. g. si quis certum numerum candelarum in oratione, vel Missa adhibeat ad aliquem obtinendum finem: si ad Missam audiendam, quærat Sacerdotem, qui Joannes vocetur, vel qui statutum Christi habeat, vel si Missam, vel Officium celebret contra Rubricas, & consuetudinem Ecclesiae; v. g. plures cruces efformando, vel Gloria, vel Credo addendo, quando in Rubricis non præscribitur. Nam licet hæc ex devotione fiant, optima devotio est se consuetudini Ecclesiae conformare: & debent hæc omnia tamquam superstitiosa prohiberi ab ordinariis, & Parochis. *Trid. sess. 22. in Deer. de Observ. & evitand. in celebrat. Miss.*

252 *Idololatria est, quando creatura tribuitur honor. sicut Deo. D. Thom. 2. 2. q. 94. art. 1.* Sive fiat sacrificio, sive genuflexione, suffit, detectione capitis, vel quovis alio honoris signo. *Divinatio*, (sic dicta, quasi divinitatis æmulatio. *L. 1. tit. 23. p. 7. ibi: Advinanzas tanto quere decir, como querer tomar el poder de Dios para saber las cosas que estan por venir; quia eam exercentes divinitate plenos, se essent simulant, & idèò divini dicebantur*) est significare res contingentes occultas liberè futuras, vel aliter incognoscibiles ex pacto cum Dæmone, vel explicito, quo scilicet, expressè Dæmon invocatur, vel implicito, ut quando aliquod signum adhibetur pro cognitione rerum occultarum, quod ex se vanum est, nullamque cum rebus occultis habet connexionem naturalem, vel virtutem ad tales effectus, nec supernaturalem ex voluntate, & revelatione Dei, vel ex ordinatione, aut precibus Ecclesiae, *cap. 1. 26. q. 3. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1.* Quando pactum explicite intervenit, dicitur generalitèr *Necromantia*. *L. 2. tit. 23. p. 7. ibi: Necromantia dicen en latin à un saber extraño, que es para encantar espiritus malos.* Hæc continet 1. *Necromantiam* in specie, quando nempè, videntur mortui, resurgere, & loqui:

nam *Nierum Græcè mortuus, Mantia* verò *Divinatio* nuncupatur. Hæc arte utebatur Pythonissa, à qua Saul petiit, quod excitaret Samuelem: 1. *Reg. 28.* quævis non illius vi Samuel apparerit: 2. *Divinationem* per Pythones, quando Dæmon per homines arreptitios loquitur: 3. *Præstigiium*, quando Dæmon præstigit oculos superstitiosorum variis apparitionibus, & eos docet: 4. *Divinationem per somnia*, quando in somnis Dæmon loquitur: 5. *Geomantiam*, quando ipse docet per signa apparentia in corporibus terrestribus; v. g. lapide, vel ligno: 6. *Hydromantiam*, quando signa quibus loquitur, apponent in aqua: 7. *Aeromantiam*; quando in aère: 8. *Pyromantiam*, quando apparent in igne: 9. *Aruspicium*, quando signa, quibus Dæmon loquitur apparent in extis animalium, quæ ipsi sacrificantur. *L. 1. tit. 23. p. 7. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.* Aliquando Dæmon loquitur per vocem in auribus illum invocantis formatam: quæ à nullo alio potest audiri. Aliquando format varia phantasmata in imaginatione, & hoc modo, juxta aliquos, loquitur cum sagis, quibus in phantasia representat illos congressus, in quibus interesse creduntur, cum revera, eas non evchat corporalitèr ad talia loca. Et hoc probati videntur ex *cap. 12. 26. q. 5. de cuius textus auctoritate, & intelligentia latè agit. Martin Delrio Disquis. Mag. lib. 5. sect. 16.* Tenendum tamen est, hujusmodi sagis sæpè evehi, & transferri corporalitèr ad tales congressus: sicut Henoch, Elias, & S. Petrus ab Angelo bono, & Simon Magus, & alii ab Angelo malo de uno loco in alium verè, & realitèr translati sint. Nec in *dict. cap. 12.* anathematizantur, qui hoc credunt; sed credentes Dianam, Deam esse, & Herodiadem, quæ nullibi est præter infernum, servitio evocari, & super bestias equitare. *Torrebl. de Jure spirituali. lib. 4. cap. 3. num. 73.* Et insuper Dæmon solet, se transformare in formam hirci, vel etiam hominis, sicut potest se in Angulum lucis transfigurare, ut facilius has mulierculas incautas decipiat. *Divinatio*, in qua pactum implicitum invenitur, continet: 1. *Augurium*; sic à garritu avium dictum, & fit, quando rei futuræ cognitio quaeritur ex vocibus, animalium, vel sternutatione hominum: 2. *Auspicium*, quando ex volatu avium, aut aliorum vis animalium motu: 3. *Omen*, quando ex vocibus hominum præter intentionem

ab homine pro latis. 4. *Genethliam*, quando ex situ, aut motu syderum. 5. *Onyrocriticum*, quando ex somnis. 6. *Metopsopiam*, quando ex fronte. 7. *Spatulamantiam*, quando ex signis spatulae. 8. *Chromantiam*, quando ex manum, earumque linearum inspectione, ut in nostra Hispania divinant Ægyptiaci, quos Gitanos dicimus: nam *Chiros manus* dicitur. 9. *Physiognomiam*, quando ex signis totius corporis humani cognitionem futuri eventus quaerimus. De quibus in *c. 1. 26. q. 3. c. 14. 26. q. 5. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.* *Vana observantia est superstitio, quæ aliquis effectus procuratur: v. g. sanitas, vel scientia medio aliquo improporcionato, & non instituto à Deo. D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1. & 2.* & fit etiam per pactum cum Dæmone. Differt à divinatione, eo quod hæc ad cognitionem rerum occultarum ordinetur, vana verò observantia ad aliquem effectum externum.

253 *Magia, quæ est ars operandi mira, alia est naturalis, superstitiosa alia. Naturalis est, quæ per causas naturales aliquis effectus mirabilis producit. De Magia naturali scripserunt. P. Castrillo, Gaspar Schot. & alii, quosdam tractatus satis curiosos. Superstitiosa est, quando talia operantur ope Dæmonis: ipsum invocando, vel expressè, vel tacitè per signa, quæ nullam connexionem naturalem habent cum effectu. Si ad nocendum alteri tendat, dicitur *maleficium*, vel *veneficium*. Aliquando fit ad amorem conciliandum, & dicitur *philtrem amatorium*. Hispanè: *Hechizos*, teste *Nebris*. Et aliquando ad odium excitandum. *L. 2. tit. 23. p. 7.* Et ut tales homines facilius specie pietatis decipiant, solent admiscere verba, vel signa sacra: v. g. verba consecrationis, symbolum fidei, & alia hujusmodi. Sed cum adhibeantur præter consuetudinem Ecclesiae & sine conuocentia ad finem intentum, pro superstitiosis habentur: v. g. quod signum crucis debeat formari characteribus ignotis, vel si adhibeantur verba peregrina, quorum significatio ignoretur. *D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1. & 4.* & idèò orationes alias piissimæ damnatæ sunt ob pactum implicitum cum Dæmone quod suspicatur, si permixta habeant nomina incognita, ut sunt *Gob. Gaber. Gabir. Gadebru, &c. Carena de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 12. n. 55.* Aliquando miscentur falsa, vel apochrypha: v. g. Christum habuisse febres, vel psalmum, &c. vel aliqua vana*

circumstantia: v. g. quod Missa tot præcise cereis debeat celebrari: quod imago alicujus sancti in flumen projiciatur: quod foemina carminatrices præces, & benedictiones applicet ad morbum depellendum: quod in tali die, quia in fastus est, Hispanè: *Aclago*, negotium non tractetur, & millia hujusmodi, quæ omnia ex improporzione mediocum fine clare esse superstitiosa indicant. *D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 2. Sanch. in Dec. l. 2. c. 40.* Latissime de hoc scripserunt *Petrus Ciruelo, Martinus Delrio in Disquisition. Magic. & Franciscus Torreblanca de Magia, & de Jure spirit.* Ubi late agunt de Lamiis, Veneficis, Marsis, & de Mulieribus, quæ carminibus, vel incantationibus curant, & pluribus aliis Hispanè: *De Brujas, Hechieras, Salvaadores, Ensalvadores, Zabris; &c.* In his omnibus discernendis, & judicandis magna cautela procedi oportet. Nam aliqui pactum Dæmonis in aliquibus effectibus difficile credunt latere: alii è contra, quidquid discursu non capiunt Dæmonis arti tribuunt. Audiamus, quod de Magia loquitur Prudentius. *Murmure nam Magico tenues excire figuras, atque sepulcrales scite excantare favillas, vita inidem spoliare alios ars noxia novit. Et Petronius: Phæbeja Circe carminibus magicis socios mutavit Ulyssis: Protheus esse solet quid quilibet; his ergo callens artibus, idèò frutes ingurgitem sistam, & rursus fluvis in summo vertice ponam.* Nunc breviter dicendum est, quod foemina carminatrices, Hispanè: *Ensalvadoras, ò Santiguadoras*, quæ canticis, vel certis formulis verborum, vel certis herbis curant, regularitèr sunt suspectæ, præcipuè si verba ignota adjugant, Idem dicendum est de saluatoribus, qui curant rabiem ex morsu canis, sed absolutè possunt habere gratiam sanitarum juxta doctrinam. *Apost. 1. Cor. 12. v. 9.* Sed ex fructibus eorum cognoscetis eos. Zahories non possunt sine arte Dæmonis, terræ viscera, vel similia vendere. Pulvis Sympaticus, qui cum sanguine vulnerati mixtus sanat recens vulnus hominis ad trecentos passus, saltem est suspectus, similiter virga Divinatoria ad inveniendum metalla, & fontes. In suma quoties effectus non habet causam naturalem illum in sua virtute continentem, & aliundè non constat supernaturalitèr illum effectum provenire, magna ingeritur suspicio pacto Dæmonis fieri. *Sanch. in Decal. l. 2. c. 38. & 40. Lacr. l. 12. p. 1. ex n. 27.*

254 Inter modos divinandi etiam erat *sortilegium*, quod per sortes fiebat, & de quo in presentibus: *Sortes proprie dicuntur, cum aliquid fit ut ejus eventus considerato aliquid occultum innoscat.* Juxta *D. Thom.* Sortes enim in triplici sunt differentia juxta *D. Thom.* 2. 2. q. 93. art. 8. alia erant *divisoria*, alia *consultoria*: *divisoria* alia: *Divisoria sunt illa, quae assumuntur ad dividendum jus, vel aliam rem dubiam pluribus competentem, ut inter eos dividatur, vel uni applicetur, & hoc modo lites vitentur.* De quibus textus in c. 1. 26. q. 2. ait. *Sors non aliquid mali est, sed res est, in dubitatione humana Divinam indicans voluntatem.* *D. Thom.* 2. 2. q. 95. art. 8. *Suarez de Relig. tom. 1. l. 2. de Superst. cap. 12. Barbos. in C. fin. b. t. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. Less. de Just. lib. 2. cap. 43. n. 58.* debet ergo eventus sperari à Deo, non à Dæmone, vel fato, aut fortuna: nec debet admisceri superstitione, vel abusus rerum sacrarum. Debent ergo tales sortes principaliter adhiberi, non ad inquirendam Dei voluntatem modo extraordinario, sed ad dirimendas lites, vel discordias, & denique, qui sortiuntur debent esse aequali jure, vel poena digni: quibus adhibitis conditionibus, sine superstitione, & sine alicujus injuria sorte potest dividi hereditas inter hæredes: præda inter milites: & bona communicantur inter socios. *L. 13. ff. de Judic. & sic olim inter Israelitas est divisa terra promissionis.* *Num. 33. v. 54.* quando inter duos, vel plures lis versatur super aliqua re indivisa, si jus illorum æquale est, & aliter lis dirimi nequit, debet res adjudicari ei, cui sors obtigerit: etiam si lis versetur circa jus ad beneficium Ecclesiasticum, dummodo præter mutuum litigantium consensum accedat superioris auctoritas; *arg. c. 21. de Præbend.* propria tamen auctoritate non possunt in jure ad beneficia Ecclesiastica privati sortibus uti. *c. 4. de Renunt. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. n. 78.* In causis verò naturalibus, & temporalibus non est necessaria superioris auctoritas, quia per pactum litigantium jus, de quo litigatur, potest alteri adquiri. *L. 21. C. Mandat. Sortes consultoria sunt, quae adhibentur in casu dubio ad cognoscendum, quae sit voluntas Dei, quid faciendum, vel quid omnimodum sit.* Si in eis à Dæmone, fato, vel fortuna revelatio futurorum spectetur, sunt illicita; & damnata. *c. 7. 26. q. 5.* Imò etiam si à Deo, extra casum

necessitatis, spectetur: Hoc namque esset quædam Dei tentatio. Si verò urgente aliqua necessitate spiritali, vel temporalis cum debita reverentia ad Deum, exerceantur, sine reliquiarum, vel sacrarum rerum abusu, licita erunt: juxta illud *Prov. 16. v. fin. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* præcipue quando ex speciali Dei instinctu adhibentur. Et sic Saul sorte in Regem electus est. *1. Reg. 10. v. 20. & seqq. S. Mathias pro Juda in Apostolum suffectus est. Act. 1. v. fin. & per sortes fuit deprehensum furtum Achan Jos. 7. v. 14. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Suarez de Relig. lib. 2. de Superst. cap. 12. Less. de Just. l. 2. cap. 43. n. 60. Sanch. in Decal. l. 7. cap. 38. n. 85.* In electionibus Ecclesiasticis nullius generis sortes valent exerceri: quod si forte sic fiat electio, erit ipso jure nulla, ut contra formam electionis in c. 42. de Elect. fact. *C. fin. b. t. ibi: Electionem celebratam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus, sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnautes.* Siquidem electio ad Dignitates Ecclesiasticas obtinendas, non temere committenda causi, aut Cæcæ fortunæ sed cum delectu, & ratione, juxta merita, & qualitates personarum, est facienda. Et casu, quo suffragia sint paria, facile jam hæc discordia juxta particulares Ecclesiarum constitutiones, resolvitur. Præfertur namque qui major est atate, vel dignior gradu, & *Suar. de Rel. t. 1. de Superst. l. 2. cap. 12. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. ex n. 71. Gonz. in c. 1. h. t. in electionibus ad officia secularia potest inter æque dignos sorte dirimi, quisnam sit præficiendus.* Siquidem *tex. in C. fin. b. t.* tantum loquitur de electionibus ad Dignitates Ecclesiasticas *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. n. 58.* & sic observatur in electione ad officium Rectoris, quæ quotannis fit in meo majori Conchensi Collegio, quod est Universitatis Salmantina: imò & totius Hispaniæ honos, & decus. *Sortes Divinatorie sunt illa, quibus alicujus futuri eventus contingenti exquiratur notitia per media ad talem eventum cognoscendum improporcionata.* Quippe quæ cum eo connectionem non habent: Et non tantum quando hoc fit expressè Dæmonem invocando sed etiam utendo verbis scripturæ, vel signis ex se improporcionatis: nam cum Deus non promississet occulta per hoc medium revelare, saltem implicitam invocationem Dæmonis continet,

ut

ut tales sortes regat, & oculum manifestet; v. g. si quis per inspectionem astrolabii, vel etiam utendo Sacra Scriptura, vel Orationibus, & Cæremoniis Ecclesiasticis furtum, vel aliud delictum occultum inquirat: imò majorem injuriam, & contemptum irrogat scripturis, qui taliter eis auditur: idè hæc facere illicitum, & superstitiosum est, & sub excommunicatione damnatum. *c. 3. & seqq. 26. q. 5. c. 1. & 2. b. t. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. in corp. Suarez de Relig. tom. 1. de Superst. l. 2. cap. 12. n. 28. Sanch. in Dec. L. 2. cap. 38. n. 88. Gonzal. in c. 1. h. t.*

255 Præterea: illicita est *Astrologia judiciaria*, quæ ex inspectione Astrorum conjectantur aliqui futuri eventus liberi, vel alia presentia, vel præterita penitus occulta. Nam si in Astris fundatur, tanquam in causa cum talibus eventibus connexa, & eorum necessaria tollitur nostri arbitrii libertas. Si Astra tanquam signa assumantur, cum talis significatio non sit ex eorum natura, neque ex Divina institutione, cum de hoc nullibi constet, infertur à Dæmone provenire illam notitiam, saltem ex pacto implicito: Idè utroque jure damnata est hæc Astrologia judiciaria. *L. 10. C. de Episc. Aud. L. 2. L. 5. L. 6. de Malefic. & Mathem. c. 6. 26. q. 2. c. 1. 26. q. 3. c. 3. 26. q. 5. & novissimè motu proprio S. Pii V. Cali. & terra.* Et in specie damnantur Genethliaci, vel Horoscopi, qui scilicet judicium faciunt de hominum nativitate. *Sanch. in Dec. L. 2. cap. 38. ex n. 27.* Et hoc tantum prohibetur in Jure Civili: quando Mathematicos damnat in *L. 10. C. de Episc. audient.* non enim damnatur utilissima Matheseos scientia: imò hæc ob ejus nobilitatem, & magna commoda, quæ Republicæ affert debet non solum laudibus extolli, sed, & præmiis promoveri. Utinam in nostra Hispania, sicut in aliis Europæ Politioribus Provinciis, hujus scientiæ, quæ ferè peregrina est in nostris Academiis, studium propagaretur! Quot utilitates, & commoda Hispanis accrescerent, si eorum ingenia huic studio applicarentur, quam facile ad ejus comprehensionem possent evolare, non enim *ala, sed deficit usus.* Licita similiter, quin, & valde utilis est Astrologia naturalis, quæ conjectamus ex motu cursu, vel situ syderum aliquos effectus naturales, ut temporis serenitatem, Eclipses, ventos, pluvias, sterilitatem, vel fertilitatem anni, morbos, & eorum

curacionem, aliaque hujusmodi. Nec superstitio item est Lunam observare, & tempora aptiora ad navigationem inchoandam, ad arbores cadendas, colligendas herbas, purganda corpora, &c. *L. 1. tit. 23. p. 7. ibi: Porque los juicios è los asmanientos, que se dan por esta arte, son causados por el curso natural de los Planetas, è de las otras Estrellas.* Similiter ex avium volatu, vel garritu, vel motibus animalium aliqui effectus naturales prænuntiari valent; v. g. tempestas, serenitas, vel pluvia: quippe tales motus talium effectuum sunt signa. *D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 7. Sanch. in Dec. L. 2. cap. 38. n. 38. & Aratus ajebat.*

*Sideraque, & varios Cæli cognoscere motus,
Nauta quid caveat, quid vitet doctus arator,
Quando ratem ventis, aut credat semina terris.*

Etiam licet ex lineamentis corporis, seu ex physiognomia conjectare hominis complexionem, corporis bonam, vel malam valetudinem, propensionem quoad morbos, imò, & quoad mores, quamvis ad hoc sit conjectura magis debilis, quia bona educatio, exempla, & timor Dei, etiam in vitia valde propensum, temperant, & corrigunt. Illicitum tamen est ex corporis dispositione, & ex lineis manuum prædicare propitios, vel adversos eventus hominis, & alia, quæ naturaliter sciri non possunt. Idè non est licitum, inquirere ab Ægyptiis, Hispanè: *Gitanos*, bonam, vel malam fortunam, vel alios eventus contingentes circa matrimonium, Sacerdotium: imò est peccatum grave, si firmiter eis credatur: vel si scandalum generetur: regulariter tamen fit animo tantum jocandi, ac proinde solum est vanitas venialis. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 38. ex n. 44.* Similiter ex somnis licet colligere hominis complexionem, bonam, vel malam valetudinem, si sanguis, cholera, phlema, vel melancholia abundet, non tamen licet conjectare futuros eventus contingentes, ab hominis pendentes arbitrio. Siquidem cum eis nullam connexionem habent, ac proinde hoc superstitiosum esset, sed quia Deus aliquando in somnis locutus est viis justis, & sanctis, ut constat de Josepho Patriarcha. *Gen. 37. & D. Josepho B. Virginis Sponso, & de Magis. Matth. 2. v. 13.*

ex

ex qualitate somniantis, & aliis circumstantiis à viris doctis, & probis debet sumi interpretatio. *Sanch. in Decal. lib. 2. c. 38. ex n. 49.*

256 In his omnibus speciebus superstitionum, quotiescumque intervenit pactum explicum cum Dæmone, quo ipse expressè invocatur, cum prorsus illicitum sit commercium, cum Dei hoste jurato habere, absdubio committitur peccatum grave: imò ex se etiam peccatum grave est, quoties pactum implicitum intervenit: solet tamen excusari ob simplicitatem, vel ignorantiam non crassam, nec affectatam hoc facientium: vel etiam, quia non firmiter his credunt, sed tantum cum quodam timore, & suspitione eventus futuri, & tantum ex quadam vana curiositate hoc efficiunt. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 38. & omne pactum explicum, & implicitum quocumque modo fiat prohibitum est in Edicto Generali Inquisitionis ex n. 8. O si han invocado al Demonio, ò tenido en el pacto tacito, ò expreso, ò que ayan sido Brujos, ò Brujas, ò mezclado cosas Sagradas con Profanas. O si han sido Astrologos judicarios, adivinos, ò supersticiosos, ò si para adivinar, ò otro efecto han consultado, ò preguntado, ò si han usado del Arte Mágica, hechizos, encantamientos, agujeros, sueños, rayas de las manos, cerros, bruñerías, caracteres, suertes con habas, trigo, maíz, ò otras semillas, ò con naypes, dados, monedas, ò sortijas, &c. Crimen Sortilegii, & Magiæ à Laicis commissum est mixti fori. Jure Civili Magiam illicitam in tertii præjudicium exercentes capite puniuntur. L. 5. C. de Malef. si sine damno alterius exerceatur est poena arbitraria. Sortilegii de Jure Civili bonorum confiscatione puniuntur, & aliquando igne. L. 3. L. 5. C. de Malef. Hodie tamen puniuntur poena arbitraria carceris, fustigationis, imò, & mortis. Jure canonico Clerici, qui talia exercent, si bono zelo, & ex simplicitate sortilegii usi fuerint, ad tempus suspenduntur ab altaribus ministerio, & divinis. c. 2. h. t. si ex malitia hoc fecerunt, verbaliter deponuntur ab officio, & beneficio, & in Monasterium derruduntur ad poenitentiam peragendam. c. 4. c. 5. c. 6. 26. q. 5. c. 1. c. 2. h. t. imò aliquando si Hæresis, vel Idololatria admisceatur, degradantur, & sæculari Curia traduntur. c. 15. 26. q. 7. Jure Hispano Malefici, Venefici, Magi, & Sortilegi morte puniuntur. L. fin. tit. 23.*

p. 7. L. 5. L. 6. L. fin. tit. 3. L. 8. R. C. Sed hodie in nostra Hispania de his criminibus cognoscunt Inquisitores hæreticæ pravitatis, prout continetur in Edicto Generali Fidei. Et in expurgatorio S. Inquisitionis Edito, an 1707. in Regul. 9. prohibentur libri, qui de his rebus agunt. Ubi additur: *pero bien se permiten los juicios, y naturales observaciones, que están escritos, y se hacen para ayudar à la navegacion, Agricultura, ò Medicina, y los que tocan al conocimiento de los tiempos, y sucesos generales del mundo, eclipses, lluvias, &c. de poena quæ cuilibet delicto respondet, videantur Cesar. Carrera de Offic. Inquisit. Diana in Summ. V. Inquisitorum jurisdictione, quoad penas ex n. 161. quæ fere semper est arbitraria, & juxta circumstantias metienda, & reducitur ad anathema, dignitatum suspensionem, verbera, exilium, carcerem, tritremes, & publicam confusionem cum infami mitra, quam dicimus: *Coroza*. Striges, sagæ, vel lamia. *Hispanè*: Brujas, licet regularitèr non tradantur Curia Sæculari ob cõpès infantium, sed poenis apostatarum puniantur, tamen si hæc infanticidia sint frequentia, vel aliæ circumstantiæ concurrant, possunt tradi brachio Sæculari. Quod si se spontè præsentent, etiam si à fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittuntur ad reconciliationem, nec eorum bona confiscantur, nec imponitur ipsis poenitentia: habitus, & si post abjurationem relabuntur in Hispania Inquisitione bis, & tunc admittuntur ad reconciliationem. Diana in Summ. V. Inquisitores, num. 162. Peña, Castropol. & alii. Qui in sortilegiis utitur S. Eucharistiæ Sacramento tradendus est Curia Sæculari. Dian. in Sum. V. Inquisitores, n. 161.*

TIT. XXII.

De Collusione detegenda.

257 **C**ollusio est conventio latens, & fraudulenta inter actorem, & rerum, ut delicta maneant impunita, vel committantur impune. Vel quia accusator omninò ab accusatione desistat, ne reus puniatur & dicitur, *tergi-versatio*, vel quia actor, vel accusator falsas defensiones, & exceptiones rei admittat, vel probationes veras proprias celet, ut reus poenam vitet, & illusorium reddatur judicium, & *prævaricatio* dicitur.

TIT. XXIII.

De Delictis puerorum.

dicitur. Et quidem hoc delictum non solum à partibus principalibus committitur, sed etiam à Procuratoribus, & Advocatis, qui ita fraudulenter cum parte adversa colludunt. Advocatus verò non tam collusor, seu prævaricator dicitur. L. 1. §. 1. ff. de Prævaric. quam falsarius, & ut talis puniatur. Et in causis civilibus solum inter Procuratores, ex utraque, vel saltem ex una parte habet locum collusio: nam si partes principales à lite desistere velint, ipsis utique licet: quia solum de privato interesse agitur, super quo transigere valent. Habet ergo locum collusio præcipuè in causis criminalibus: siquidem non est in privatorum arbitrio, ne puniantur delicta, quorum punio maximè Reipublicæ interest, etiam in causis beneficialibus solet collusio intervenire, ut in casu, cap. 3. h. t. Clerici namque in beneficiis quæ possident, sustinent se ab aliis molestari, & postea ut questionem cedatur, & eidem Clerici beneficium quietè possideant, quasi nomine transactionis, solvunt actoribus de ipsis beneficiis annuam pensionem, & insuper concedunt, ut post beneficiatorum mortem in beneficiis ipsis, super quibus est collusio facta, jus sibi valeant tales actores vindicare: & ideò mandat Alex. III. Episcopis, quod si de tali collusione legitime ipsis constiterit, tales colludentes spoliènt perpetuo beneficiis, super quibus collusum fuerit, quia satis esset indignum, si fraus, & dolus, quem in præjudicium juris, & etiam aliorum, id est collatorum, & patronorum, nituntur committere, in eorum non redundaret incommodum, & facturam, cap. 3. h. t. in criminalibus taliter colludentes infamiam incurrunt. L. 4. ff. de Prævar. & arbitratè pro criminis qualitate ponuntur. L. 2. ff. de Prævaric. & licet alias legitime absolutus amplius nequeat accusari, cap. 6. de Accusar. lib. 12. tit. 1. p. 7. contra absolutum per collusionem, nova accusatione, vel Inquisitione super eodem delicto procedi potest, cap. 1. cap. 2. cap. fin. h. t. L. 3. §. 1. ff. de Prævaric. ne delicta impunita mancant, & ne reus commodum ex sua malitia reportet.

258 **N**omine puerorum in præsententi intelliguntur impuberes. Hominum enim ætates sic distinguuntur. A nativitate, usque ad 7. annum dicuntur *infantes*, quasi non possint fieri, vel quia saltem non bene percipiunt, quod loquuntur. Nec multum à furioso distant, ut ait Justin. in §. ro. Inst. de Inut. stipul. Ex anno septimo usque ad 14. completum in masculis, & usque ad 12. in fœminis impuberes dicuntur. Ex 14. in masculis, & à 12. in fœminis, usque ad 25. dicuntur puberes, adolescentæ, & *minores, seu minoresnes*. Ex 25. dicuntur *maiores*. Proximus infantia dicitur, qui nondum implevit decimum annum cum dimidio, & est masculus: in fœminis verò usque ad novem annos cum dimidio extenditur. Proximus pubertati dicitur masculus, qui decem annos habet cum dimidio, & fœmina habens novem cum dimidio. Sic pro nostra Hispania tenendum est. L. 8. tit. 31. p. 7. & alii, licet alii aliter sentiant. Vid. Gonz. in cap. 6. de Desponsat. Impub. n. 5. fœmina, quæ habet 14. annum completum, & vir qui habet 18. annum completum dicuntur in plena pubertate esse. Infantes licet coram Deo sæpè peccent levitèr, imò, & aliquando lætalitèr, malitia ætatem præveniente; ut ille infans quinque annorum, qui propter blasphemias abreptus est à Diabolo ex suorum parentum manibus, teste D. Greg. Dial. lib. 4. cap. 14. In foro tamen externo cum doli capaces non presumantur; nec multum à furioso distare credantur, §. ro. Inst. de Inut. stipulat. nec civili, nec criminali poena plectuntur: non aliter ac furiosi, si damnum fecerint, vel aliquem occiderint. L. 12. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. ibi: *Infans, vel furiosus, si hominem occiderint, Legge Cornelia non tenentur, cum alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat*. Infantia proximi, si delinquant, licet aliqualem usum rationis habeant, cum tamen dolus desit ob judicii infirmitatem regularitèr à poena liberantur; sed ne delictis assuescant, severè aliquando animadvertuntur, sicut furiosi, & bruta, ut poenæ dolore à vitio, vel delicto abstineant.

259 Impuberes pubertati proximi, non coercentur ob peccatum omissionis: nam potius imprudentia, quam malitia omisit censetur, nisi probetur ex dolo omissionem processisse. *L. 14. ff. ad S. C. Syllan.* ob delictum omissionis puniuntur, sed non poena ordinaria, sed alia minori, *cap. 1. h. t. L. 14. ff. ad S. C. Syllan.* sed furti, & ex Lege Aquiliæ tenentur. *L. 5. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* & Clericum percutientes incurrunt Canonis excommunicationem, *cap. 1. & cap. fin. de Sentent. excomm.* ob ætatis namque defectum regulariter minus dolose, & malitiose delinquere præsumuntur. *L. 108. ff. de Reg. jur. ibi: Ferè in omnibus penalis iudicium, & atati, & imprudentia succurritur.* Nunquam tamen poena mortis, imò nec tormenti afficiuntur, etiam si homicidium, vel aliud capitale delictum commiserint. *L. 1. §. 33. ff. ad S. C. Syllan.* atque adeo aliquomodo potest dici tale peccatum inultum, ut in *cap. fin. h. t. Menoch. de Arbitr. cas. 329. Farinac. Prax. Crimin. Gonz. in cap. 2. h. t. ex n. 11.* Quando filiusfamilias puer, vel impubes aliquid delictum committit, ipse puniendus est, non tantum personaliter, sed etiam, quando poena pecuniaria imponitur si habeat peculium undè solvat: quia culpa suos debet tenere Authores. *L. 22. C. de Pœnis.* Pater verò minime ex delicto filii tenetur, nisi in quantum factus fuit locupletior ex delicto filii. *L. 3. §. 12. ff. de Pœnil.* vel si particeps fuit delicti, vel negligens, in eo corrigendo. *Barbos. in C. fin. h. t. num. 9.* Etiam ex adulterio, & aliis delictis carnis tales tenentur quando malitia prævenit atatem, mitius tamen puniuntur; *arg. L. 36. L. 38. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* atamen delicta carnis in pueris non præsumuntur, nisi probetur malitiam prævenire atatem, *cap. 1. h. t. Gem. Var. 3. cap. 1. n. 59. Gonzal. in præsent. & alii.* Qui jam sunt puberes, minores tamen 25. annis in delictis spiritualibus prout sunt simonia, & hæresis, habentur pro maioribus, ac poena ordinaria puniuntur. Idem est quando crimina sunt valde enormia, ut crimen læsæ Majestatis, vel beneficiorum; *arg. L. 14. ff. ad S. C. Syllan.* in aliis delictis, licet poena ordinaria possit infligi, potest Judex eam ex juxta causa mitigare. *L. 37. §. 1. ff. de Minor. v. g. si delictum mortem qualificatam meretur, imponere potest poenam mortis simplicis, si hæc delicto respondeat, potest mutari in frustrationem. Menoch. de Arbitr. cas. 329.*

ex n. 12. Barbos. in cap. 1. & 2. h. t. In nostra Hispania sic sapientissimus Rex Alphonsus circa ipsos deponit in *L. 8. tit. 31. p. 7. E si por ventura el que hubiese errado fuesse menor de diez años è no dia, non le deben dar ninguna pena: è si fuesse mayor de esta edad, è menor de diez y siete años, debele menguar la pena que dariah à los otros mayores por tal yerro.* Et hæc decisio servanda est semper ac Lex, non præscribat poenam ordinariam, etiam habenti minorem atatem, ut in aliquibus casibus ob criminis immunitatem præscribitur.

TIT. XXIV.

De Clerico Venatore.

260 **A**liquando homines alios injuste opprimunt, venatores dicuntur, ut in *Gen. 10. de Nemrod* dicitur, quod erat robustus venator, in est hominum oppressor, & extinator. *C. fin. V. His itaque. D. 6.* & hæc venatio dicitur *oppressiva.* Alia dicitur *arenaria,* quam exercebant homines in arenam descendentes, pretio conducti, ut cum bestiis decertarent. Alia est *adulatoria,* qua per verba adulatoria homines capiuntur, *cap. 11. 6. q. 1. ibi: Sunt plurimi, qui etiam honorum amplius quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit Omnipotens Deus, malos in obtræctionem, & obijurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Aceved. in Rubr. tit. 8. lib. 7. R. C.* Sed de his in præsent non agitur, sed de venatione *sylvatica,* seu *saltuosa,* quæ ad occupationem dirigitur animalium, quæ in sua libertate naturali existunt. Si animalia sint terrestria, venatio *terrestri* dicitur: si sint volucres, dicitur *aucupium:* si pisces *piscatio* nuncupatur. Venatio Jure Gentium omnibus communis est, ac proinde fera, & avis, quæ à nemine capta prius fuerat in jus capiendæ transit, §. 12. *Inst. de Rerum divisi.* quod jus, & dominium fundatur in illo. *Genes. cap. 1. v. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & bestiis universæque terræ, omnique reptili, quæ movetur in terra. Soto, de Just. lib. 4. q. 6. art. 4.* Nullo tamen modo licet capere animalia, natura sua, mansueta: ut sunt gallinæ, oves, boves, equi, sucs, ana-

anates domesticæ, & similes: imò, qui ea capit: etiam si à Dominis fugerint, tenetur ea Dominis restituere. Nec item potest quis capere animalia fera mansueta, dum redeundi naturam retinent: secus est, si eam amittant, solum igitur conceditur animalia omnino fera, & sylvestria capere, dum sine alieno præjudicio hoc fiat: non tamen licet, ea in alieno fundo, vel lacu capere contra Domini voluntatem. Quia ipse habet jus usum sui prædii aliis prohibendi: imò nec in saltu communi, vel flumine hoc licet, si salta aliena, vel vineæ canibus, vel equis deteriorarentur, vel tales esca projicerentur, ut feræ, & pisces penitus extinguerentur cum damno boni communis. *Lessius de Just. & Jur. lib. 2. cap. 5. num. 4.* & tunc qui hoc faceret teneretur satisfactionem præstare Republicæ, quæ habebat jus piscandi, quantum censetur, illud jus graviter læsisse, & spem lucri, & oblationem eripuisse, non tamen tenetur ipsa animalia, vel pisces restituere: similiter ille qui in fundo alieno, invito Domino, venatur, licet peccet, & teneatur ad compensationem pro ratione injuriæ, & damni illati, non tenetur ad restitutionem ejus, quod cepit, quia animal sylvestre, cum nullus sit, primo occupanti acquiritur. *Less. de Just. lib. 2. cap. 5. n. 43.* Ob bonum quidem commune Principes sæculares solent prohibere, & in Hispania est prohibitum in *L. 1. tit. 8. lib. 7. R. C.* ne procreationis tempore venatio exerceatur, ne cum omnium civium damno extinguatur venatio. Quando Principes prohibent venationem in aliquo saltu, quem ad propriam recreationem volunt reservare, ut nostri Reges eam in locis Hispaniæ dicitis: *Aranjuez, el Pardo, Balsain, y San Lorenzo* prohibent *L. 20. tit. 8. lib. 7. R. C.* non censentur velle subditos obligare in conscientia, nec ad restitutionem, si forte aliquas feras capiant, sed tantum ad poenam, & hæc potest regulariter esse, & est vel pecuniaria, vel carceris, vel relegationis, & potest ad trirèmes extendi: non tamen ad mortem, nisi alia gravissima circumstantiæ accedant. *Less. de Just. lib. 2. c. 5. n. 45.* In nostra Hispania est prohibitum columbas mansuetas occidere, non solum in columbario, sed nec intra leucam distantiam ab ipso. *L. 7. tit. 8. lib. 7. R. C.*

261 Clericis quidem prohibetur venatio, quæ *clamorosa* dicitur, qua scilicet

ceteri ipsi feras majores venantur, ut apros, cervos, &c. & sic cum magno strepitu armorum, retium, canum, equorum, & hominum, vel accipitrum, vel falconum. Hæc enim, teste *Aristot. 1. Polit. cap. 5.* quendam belli speciem gerit, ubi magna est sanguinis effusio, quæ aliqualem animi asperitatem, & crudelitatem generat: quæ sane non convenit militibus Christi, nec lenitati, & clementiæ, quam in Christo imitari debent: & certo modo modestiam clericalem deturpat tantus clamor, & inquietus tumultus. *c. fin. h. t. Clem. 1. §. Porro, de Stat. Monach. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12.* Venatio tamen, quæ *quieta, & recreativa,* seu *placida* dicitur quia sine strepitu armorum retium, & equorum feræ minores, ut lepores, & vulpes, & aliquando volucres capiuntur, non est interdicta Clericis, possuntque eam exercere causa valetudinis, vel alterius necessitatis, vel utilitatis, imò, & causa justæ: & honestæ recreationis. Sic enim ipsos non dedecet, & hoc suadet consuetudo: nam plures docti, & timorati Clerici eam exercent; dummodo non sit nimis frequentata: tunc enim cum valde distrahatur Clericos à suis Officiis, & exercitiis spiritualibus permitti non debet. *Gloss. in c. 1. h. t. V. Voluptate. Sylvi. V. Venatio. Barbos. in c. 1. h. t. Monachis tamen & Religiosis, quia strictiorem vitam profitentur, non permittitur venatio, etiam quieta, & recreationis causa. Gl. 1. §. Porro, de Stat. Monach. Diaz Pract. Crimin. Canon. V. Venatores. Barbos. in c. 1. h. t. n. 4.* Rarò tamen, vel Monachi, vel Clerici exercentes venationem, etiam clamorosam, graviter peccabunt, quia cum ex se non sit mala, potest sæpe coonestari, dummodo scandalum absit. Et hoc consuetudine probatur. Nullibi tamen est prohibitum Clericis, nec Monachis exercere venationem, etiam clamorosam, per alios, si saltum habeant, ex cujus venatione aliquos redditus percipere possint: quin nec Episcopis hoc prohibetur, ut constat *ex L. 57. tit. 5. p. 1. ibi: Nin deben otrosi cazar con su mano aor, nin bestia. Et ibid. novat. Greg. Lopez, & Aceved. in Rubr. tit. 8. lib. 7. R. C.* Piscatio tamen etiam per ipsos Clericos, & Monachos exerceri, nequiquam prohibetur: hoc namque ipsos minime dedecet: quia sine strepitu, & distractione potest fieri. Sic, & Apostoli etiam post vocationem ad Apostolatam piscationem exercebant.

nam ut ait *Dio. Hieronym.* in c. 11. D. 86. *Penitus non invenimus in Scripturis sanctorum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* Olim quidem graves poenae à jure impositae erant contra Clericos, Religiosos, & Episcopos, qui venationi erant dediti. Ut constat ex c. 1. b. t. Scilicet si Episcopus fuerit, tribus mensibus à communione: si Præbyter duobus: si Diaconus ab omni officio suspendatur. Sed hodie jam consuetudine contraria abrogatae sunt; arg. C. fin. de Consuet. Si tamen aliquis Clericus nimis frequenter, magnaque cum distractione venationem exerceret, si monitus non respiceret, posset ab Episcopo puniri poena extraordinaria juxta circumstantias arg. c. 4. de Offic. Delegat.

TIT. XXV.

De Clerico percussore.

262 CUM Clericos maxime deceat, mansuetudinem Christiani imitari, merito ipsis, maxime in majoribus constitutis, prohibetur alios, etiam delinquentis, percutere. c. 1. c. 7. D. 45. c. 25. D. 86. c. 1. b. t. Prælati tamen Ecclesiastici, tam Sæculares, quam Regulares, Episcopo excepto, possunt castigare, & quidem propria manu, causa disciplinæ, & correctionis, Clericos, & Religiosos sibi subditos: moderatè tamen. Et quidem constitutos in minoribus etiam pro culpis levioribus, constitutos tamen in majoribus pro gravioribus tantum. c. 8. D. 45. c. 25. D. 86. si immoderatè, etiam causa correctionis, percutiant, in excommunicationem Canonis. Si quis suadente, 29. 17. q. 4. Incidunt, & in exilium mittuntur. c. 8. D. 45. Et si mors, vel mutilatio sequatur, irregulares fiunt. c. 7. de Homicid. Episcopo autem non permittitur, nisi in necessitate, propria manu Clericos verberare. c. 25. D. 86. L. 56. tit. 5. p. 1. Quando ergo Episcopus, vel alius Prælati per alium vult suos subditos verberare, debet hoc facere, non per Laicum, sed per Clericum, vel Religiosum: alias tam Laicus verberans, quam Prælati mandans, etiam quando juxta subest causa, excommunicantur. c. 24. de Sentent. excom. L. 56. tit. 5. p. 1. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 42. Sed cum deceat Clericos alios Clericos castigare, & non facile inveniatur, qui hoc mu-

nus velit exercere, consuetudine est introductum, & corroboratum jure noviori. In c. 15. de Sentent. excom. in 6. quod hoc per Laicos fiat jubente Prælati. Sic per ipsos Clerici capiuntur, in carcerantur, torquentur, ad trirèmes mittuntur, & ubique puniuntur. Et Prælati Regulares ex privilegio, vel consuetudine suos subditos, etiam Clericos, per Laicos Religionis, seu conversos castigant. Suar. de Cens. sect. 1. n. 42.

263 Magistri, & Præceptores, etiam si Clerici sint, possunt moderate suos Discipulos, etiam Clericos, percutere correctionis causa. c. 19. de Penit. D. 1. lib. 1. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. Et cum talis percussio, nec violenta sit, nec Diabolo suadente fiat, non incurrit excommunicationem Canonis sic percutientes. c. 1. c. 54. §. fin. de Sentent. excom. Imò nec eam incurrit Sacerdotes, & alii Clerici seniores levitè percutientes, zelo devotionis, pueros, & adolescentes, constitutos in minoribus, si turbent Divinum Officium. c. 16. c. 54. §. fin. de Sentent. excom. Suar. de Censur. D. 22. sect. 1. n. 48. Debent tamen Clerici, quando alios corrigunt, vel castigant, præ oculis habere, quod dicitur in c. 15. D. 45. ibi: *Vera justitia compassionem habet: falsa verò indignationem, quamvis & justis soleant rectè peccatoribus designari.* Clericus, qui aliquem etiam Laicum, gravitèr percutit, etiam semel, ob gravem repugnantiam, quam talis percussio habet cum statu, & mansuetudine Clericali, deponi debet, etiam nulla præmissa monitione; arg. C. fin. D. 25. Si verò levitè percutiat, pro qualitate delicti debet arbitrio superioris puniri. Si monitus non se emendet, sed frequenter, & passim percutiat, etiam levitè, debet deponi. c. 1. b. t. Episcopus, qui aliquem facit crudeliter fustigari, duobus mensibus à Missarum celebratione suspenditur. c. 2. b. t. Clericus, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occisi, sine ejus facto, vel consilio potest de Jure Communi promovèri. C. fin. b. t.

TIT. XXVI.

De Maledicis.

264 Maledici sunt, qui maledicunt, vel maledictum, quasi malum dictum pronuntiant. Et quidem, vel in Deum, & Sanctos, & dicitur blasphemia: vel in hominem absentem; & clam ejus famam lædendo, & dicitur calumnia, convitium, vel contumelia. Blasphemia etenim est maledictum in Deum ejus laudibus oppositum. Quod si affirmetur aliquid quod contra fidem sit, erit hæreticæ. Et quidem diversimode committitur blasphemia: 1. Affirmando de Deo, quod ipsi non convenit; v. g. quod sit injustus, vel crudelis: 2. Negando, quod ei convenit; v. g. quod non sit providus, vel omnipotens: 3. Attribuendo creaturæ, quod Dei peculiare est; v. g. attribuendo Dæmoni omnipotentiam: vel jurando seriò per Jovem, vel alium Deum falsum. Non tamen censetur blasphemia vocare amasiam Deam, aut Idolum suum: nam hæc verba non summuntur in sensu proprio, sed hyperbolice. Diana in Summa. V. Blasphemia, num. 4. 4. Deo imprecando aliquod malum; v. g. quod pereat: vel irrisorem de Deo, vel Sanctis faciendo, ut quando Judæi Christo dicebant. *Vab: qui destruis templum Dei:* 5. Nominando indecènter, & cum contemptu Deum, aut Christum, vel ejus membra: 6. Proferendo verba contumeliosa in Deiparam, vel Sanctos; v. g. dicendo, ipsam non esse virginem, vel illos non esse in Cælo: nam Deus in suis Sanctis contemnitur, & blasphematur, sicut in ipsis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit. D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. Sanchez. in Dec. lib. 2. cap. 32. ubi late Diana. in Sum. V. Blasphem. Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 246. Barb. & Gonz. in C. fin. b. t. Et non solum per verba, & voces, sed etiam per facta committitur blasphemia. L. 5. tit. 28. p. 7. ibi: *De fecho obrando algun home en manera denuesto alguna cosa, como contra Dios, ó contra Santa Maria, escupienao en la Magestad, ó en la Cruz, ó firiendo en ella con piedra, ó con cuebillo, ó con otra cosa qualquier, ó si alguno con sena escupiese contra el Cielo, ó firiese en las puertas, ó en las paredes de la Iglesia.* Et Inquisitores procedunt contra conspirantes, & percutientes Sacras Imagines,

etiamsi hoc faciant ex iracundia Diana. in Sum. V. Inquisitorum jurisdicção, num. 67. Et hoc facientes puniuntur poenitentia publica, vel jejuniis, elemosynis, orationibus, multa pecuniaria, aut fastigatione. Quod si probetur, aliquos ex intellectus errore, hoc fecisse, puniuntur ad instar hæreticorum, vel suspectorum, primò tortura, aut abjuratio: mox ipsos tradendo Curie Sæculari. Imò, & tradi debent Curie Sæculari morte puniendi, si delictum publicum sit, etiamsi ipsi non habuissent animum hæreticalem, etiamsi fateantur delictum, & petant misericordiam, adhuc debent mori: quia tantum scelus non potest manere impunitum, & de talium conversione semper timeri posset. Diana in Sum. V. Inquisitores, num. 150. Sousa, & alii.

265 Blasphemia gravissimum scelus est confessioni fidei oppositum, & quodammodo ad infidelitatem pertinet, & est peccatum mortale ex genere suo. Dio. Thom. 2. 2. q. 13. art. 2. in corp. & quidem omnibus, qui apud inferos suorum scelerum poenas luunt est peccatum commune: ac propter severissimè puniendæ est. In Lege enim veteri, jubente Domino in Levit. 24. v. 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sicut ille Civis, sicut peregrinus fuerit.* Et ad hoc crimen execrabantur Judæi, ut quando blasphemiam magnam audiebant, sua scindebant vestimenta: ut de Príncipe Sacerdotum refertur. Matth. 26. v. 65. Jure Canonico antiquo erat statuta in Clericum depositio, in Laicum excommunicationem, cap. 10. 22. q. 1. postea publica poenitentia, & multa pecuniaria, cap. 2. b. t. & alia fuerunt statuta poenae à Leone X. Jul. III. & S. Pii V. Blasphemiam enim hæreticalem, & graves, si sunt viles flagellis cæduntur cum publica poenitentia in publico spectaculo, compressa lingua ferro, vel ligno, & ad trirèmes mittuntur. Si sint nobiles poena pecuniaria mulcantur, & in Monasterium ad tempus recluduntur. Qui blasphemias leviores dicunt condemnari solent, ut in die festo in Ecclesia stent nudo capite, sine clamide, nudis pedibus, sine veste succinti, dextera facem ferentes, dum Divina celebrantur. Et sacris peractis sententia publicè fertur, qua ipsis imponuntur jejunia, præcationes, & poena pecuniaria, & aliquando in exilium mittuntur. Diana in Sum. V. Inquisi-